

ITEM EPISTOLA PAPAE LEONIS AD EPHESINAM SYNODUM, IN QUA
PROVOCAT CONGREGATOS EPISCOPOS EUTICETIS BLASPHEMIAS
CONDEMNARE.

LEO EPISCOPUS SANCTAE SYNODO, QUAE APUD EFESUM convenit.

5 Religiosa clementissimi principis fides, sciens ad suam gloriam maxime perti-
nere, si intra aecclesiam catholicam nullius erroris germen exurgeret, hanc rever-
entiam divinis detulit institutis, ut ad sanctae dispositionis effectum auctoritatem
apostolicae sedis adhiberet: tamquam ab ipso beatissimo Petro cuperet declarari
quid in eius confessione laudatum sit, quando dicente Domino: Quem me esse
10 dicunt homines filium hominis? varias quidem diversorum opiniones discipuli
memorarunt. Sed cum ab eis quid ipsi crederent quaereretur, princeps apostolo-
rum plenitudinem fidei brevi sermone complexus: Tu es, inquit, Christus filius
Dei vivi. Hoc est: Tu, qui vere es filius hominis, idem vere es filius Dei vivi. Tu,
inquam, verus in deitate, verus in carne, et sub gemine proprietate naturae ut-
15 rumque unus. Quod si Eutices intellegenter ac vivaciter crederet, nequaquam ab
huius fidei tramite deviaret, propter quam ei respondetur a Domino: Beatus es,
Symon Bar Iona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed pater meus, qui in
celis est. Et ego tibi dico, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo eccle-
siam meam, et porte inferi non praevallebunt adversus eam.

20 Nimis autem a compage huius aedificationis alienus est, quia et beati Petri
confessionem non capit, et Christi evangelio contradicit, ostendens se nullum
umquam studium cognoscende veritatis habuisse, et superflue honorabilem vi-
sum, qui nulla maturitate cordis ornabat caniciem senectutis. Verum, quia etiam
talius non est neglegenda curatio, et pie ac religiose Christianissimus imperator
25 habere voluit aepiscopale concilium, ut pleniore iudicio omnis possit error ab-
oleri, fratres nostros

Iulianum episcopum, Renatum presbyterum, et filium meum Ilarum diaconum,
cum hisquae Dulcimum notarium probate nobis fidei misi, qui vice mea sancto
conventui vestrae fraternitatis intersit, et communi vobiscum sententia, quae sint
30 Domino placitura, constituent—hoc est, ut primitus pestifero errore dampnato
etiam de ipsius, qui imprudenter erravit, restitutione tractetur, si tamen doctrinam
veritatis amplectens sensus hereticos, quibus imperitia eius fuerat inretita, plene
aperteque propria voce et subscriptione dampnaverit, quod etiam in libello, quem
ad nos miserat, est professus, spondens per omnia nostram secuturum se esse
35 sententiam. Acceptis autem fratris et coepiscopi nostri Flaviani litteris plenius ad
eum de his, quae ad nos videtur retulisse, rescripsimus, ut abolito hoc, qui natus
videbatur errore, in laudem et gloriam Dei per totum mundum una sit fides, et una
eademque confessio, et in nomine Iesu omne genua flectatur caelestium, ter-
restrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur quia Dominus noster Iesus
40 Christus in gloria est Dei patris.

Data Id. Iun. Asterio et Protogene viris clarissimis, aera qua supra.

24 neglegenda] *corrected from* neglegendum 25–26 aboleri] *corrected from* abolere 31 tractetur]
**tractetur: *perhaps corrected from* detractetur

9–10 Quem ... hominis: *Matt. 16.13* 12–13 Tu ... vivi¹: *Matt. 16.16* 16–19 Beatus ... eam: *Matt.*
16.17-18 39–40 lingua ... patris: *Phil. 2.10-11*